PRAEFATIO

Ricardo Heinze auctore cum epistularum, quae patris medicinae nomine circumferuntur, quid de auctore sive auctoribus, aetate, fontibus, scribendi genere enucleari posset perquirere animum induxissem, rem perdifficilem me suscepisse mox intellexi. Quamquam enim tres epistularum editiones, Littraei[1]), Ermerinsii[2]), Hercheri[3]), mihi praesto erant, ut codicum inter se comparatis lectionibus ponderatisque quae genuina esset scriptura facillime posse erui crederes, tamen hoc nequaquam fieri posse ideo mihi persuasi, quod illi editores fundamento ad textum recensendum non modo aliquo libro manuscripto non usi erant, sed ne optimos quidem codices adhibuerant. Littraeus enim ita rem gessit, ut editionis, quam vulgatam dicunt, ab Anutio Foesio Francofurti anno 1595 publici iuris factae textum Parisinorum librorum lectionibus hic illic emendaret.[4]) Atque Ermerinsius, qui totus ex Littraeo pendet, eam recensendi viam ingressus est, ut multo inferior Littraeana eius fieret editio. Quid? quod apud eum haec leguntur (vol. II, proleg. p. LIV): 'Credo equidem vulgatum textum id praebere, quod proxime ad scriptoris verba accedat; Cod. A (Parisinus ille 2253 et aetate et pretio insignis!) omnino novam recensionem textus refert, qua quidem carere non potes, si libellum intelligere velis, sed cui tamen non valde fidem habeo. Unde factum est, ut nonnumquam vulgatam lectionem ubi opus erat emendatam(!) restituerem, ubi Littréus codicem A erat secutus.' Sed ne Hercherus quidem in textu constituendo libro manuscripto nisus est fundamento. Ipse haec praefatus est (p. VII): 'In Hippocratis epistolas induxi infinitum prope lectionum numerum, quem in oblivione iacentem ex intimo sinu gremioque marginis Littreiani abstrahere licuit. Unde quasdam epistolas non emendavi solum, sed transfiguravi' et postea in adnotatione critica addit (p. XLII): 'Hippocratis epistolas edolavi, non perpolivi. Verum vel sic ope praestantissimarum lectionum, quas Littreius in margine abscondit, innumeras mendas tollere licuit. Atque id quidem feci non monito lectore, itemque tacite invexi permultas formas Ionicas, quarum certa quaedam in codicibus indicia et vestigia relicta erant.' Quae cum ita essent, Ioanne Ilberg viro doctissimo suadente Ioannem Mewaldt, ad quem cura Corporis Medicorum Graecorum redigendi delata est, per litteras adii ea mente, ut codicum, quos fundamentum esse textus librorum Hippocraticorum nunc nemo est qui nesciat, folia arte phototypa expressa mihi suppeditaret. Qui tanta comitate roganti mihi morem gessit, ut brevi tempore codicum Marciani 269, Urbinatis 64, Vaticani 276, quandoquidem nescio quo pacto antiquissimi libri nec Vindobonensis med. IV (θ) nec Parisinus 2253 epistulas servaverunt, tabulas Academiae Berolinensis sumptibus factas inspicere mihi liceret.[5]) Atque hac edendi facultate oblata pseudhippocrateas epistulas haud indignas iudicavi, quae e codicibus ad lucem prodirent adulterata forma quod eius fieri potest levatae.

Scripturae varietatem a Littraeo e codicibus Parisinis coactam si perlustraveris, brevi opinor videbis libros quosdam omnibus numeris inter se consentientes eandem verborum speciem ac ra-

1) Oeuvres complètes d'Hippocrate par E. Littré, Paris 1849—61. 10 tomes.
2) Hippocratis et aliorum medicorum veterum reliquiae, ed. F. Z. Ermerins, Traiecti ad Rhen. 1859—64. 3 vol.
3) Epistolographi Graeci, recens. R. Hercher, Parisiis 1873. 4) Cf. II 218 Littré.
5) Haec antequam prelis data sunt, peropportune accidit, quod Dilesius professor Berolinensis clarissimus tabulas photographicas codicis Palatini graeci 398 meam in manum tradidit. Liceat mihi hoc quoque loco viro doctissimo pro humanitate maximas agere gratias.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tionem praebere, diversam ab altero librorum genere, qui rursus lectionum consensu inter se fere semper coniuncti sunt. Duas igitur in classes libri a Littraeo adhibiti discedunt. Ac prima quidem a viro docto Francogallo litteris CDFGHIJK signata epistulae una cum maiore vel minore Hippocraticorum librorum parte servatae sunt. Sed ad textus formam constituendam hi codices nullius fere momenti sunt. Quos tantum non omnes affinitate cum Marciano illo 269 coniunctos esse cum Ilbergii imprimis studiis demonstratum sit, aequo animo omnino respiciendos non esse iudicavi. Altera classis eos recentiores libros[1]) complectitur, quibus non solum earum, quas tractamus, epistularum collectio aetatem tulit, sed etiam praeter farraginem quandam ex omnis generis antiquitatis scriptorum libris congestam epistolographorum Graecorum corpora fere pleraque, Hippocratis librorum nullus. Quae quantum discedat ab illa codicum familia vel inde cognosci licet, quod epistulas 6—10 non exhibet et textum praebet multis locis plane diversam deteriorem-que. Cui memoriae nova lux affulsit e sepulcrorum Aegyptiacorum tenebris. Carolus Kalbfleisch enim et Hermannus Schöne[2]) duo frustula papyracea iuris publici fecerunt, quorum alterum (pap. 7094[v]) epistulam tertiam, quartam decurtatam, quintam et longiorem et contractam exiguamque epistulae undecimae partem servavit, alterum (pap. 6934) quintam epistulam initio mutilatam et undecimae exordium. Multis locis cum recentissimis illis Parisinis concinunt et ipsi quoque epistulis 6—10 carent. Neque melioris notae est charta Aegyptia, quae nuperrime Grenfell et Hunt[3]) Britannorum cura in lucem prodiit. Solas continet epistulas 3—6 et easdem fere exhibet lectiones atque Berolinenses chartae una cum Parisinorum recentiore prosapia. Intellegis his epistulis idem contigisse, quod fieri solebat in libris per apographa plerumque privata propagatis, ut scripturae varietate satis copiosa margini adpicta paulatim pessumdarentur. Testes sunt papyri, quas antesignanos esse decebat. Sed nolo longius in hac re morari, cum alio loco textus historiam enarrare in animo habeam. Iam hoc sufficiat monere omnes libros manu scriptos ad unum eundemque communis archetypi fontem redire interpretamentis et variarum lectionum satis ampla copia adornati.

Epistularum falsarium (vel falsarios) Hippocratis sermonem, i. e. dialectum Ionicam imitatum esse nemo est, quin primo oculorum obtutu videat. Nam imperatorum aetate, qua non dubium est, quin hoc litterarum specimen subditicium ortum sit, multi extiterunt, qui in libris componendis Ionica dialecto inde ab Alexandri Magni temporibus paene intermortua, tum rediviva uterentur. Sed cum quid vere esset Ionicum saepissime ignorarent, factum est, ut permultis et pseudionismis qui vocantur et vulgaribus sive Atticis formis uterentur. Itaque in epistularum dialecto reddenda non eas formas adhibui, quas viri docti his temporibus vere Ionicas cognoverunt, sed tam pie Marcianum 269 secutus sum, ut haec recensio imaginem tamquam eius ostendat. Ceterorum codicum discrepantias accuratissime in apparatu critico me attulisse consentaneum est.

Restat, ut moneam iam Udalricum de Wilamowitz[4]) intellexisse clausulas Asianorum quae dicuntur in nonnullis epistulis imprimis in 17 admodum multas audiri. Quod quanti momenti fuerit ad textus formam constituendam ex hoc ipso videbis.

Codices ad hanc editionem adhibiti sunt:

1. Marcianus graecus 269 (M) saeculi XI accurate ab Ioanne Ilberg descriptus (Hippocratis opera, vol. I proleg. p. XVIII sqq.), quo fundamento usus sum. Optime exaratus tamen non caret omnis generis vitiis. Interdum praebet pro ϵ littera αι, e. gr. δῆμαι, θορυβεῖϲθαι, vice versa pro αι legis ϵ in δύνάϲϵ, ἱϲτορέοντϵ, ἐγκαθίϲϵ, ἕτϵροι (pro ἑταῖροι). Voces itacismo qui vocatur corruptae nonnullae reperiuntur: ἔλληψιϲ, διϵγϵιγϵρμένοϲ, ἰϲόμϵθα, πάρηθι. ωι saepius scriptum est pro ω: ἐγγυτέρωι, ὑπονοέωι, δημοκρίτϵωι. Litterae ν paragogicae quam dicunt ponendae haud

1) Sunt a Littraeo litteris ϲτυχψω insigniti.

2) Berliner Klassikertexte, Heft III. Griechische Papyri medizin. u. naturwiss. Inhalts, bearb. v. K. Kalbfleisch u. H. Schöne (1905), S. 5 sqq. cf. Guil. Crönert, Wochenschr. f. kl. Phil. XXIII (1906) 593 sqq.

3) Oxyrhynchus Papyri, tom. IX (1912) no. 1184 p. 195 sqq.

4) Sitzungsberichte d. Kgl. preuß. Akademie d. Wiss. 1901, phil.-hist. Kl., S. 5, Anm. 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

raro rationem habuit nullam librarius: omittitur ante vocales, additur ante consonantes. Correctus est liber ab ipso, qui exaravit, et ab altero quodam. Tituli litteris semiuncialibus quae dicuntur factae, iisdem verba nonnulla margini adpicta. Continet epistulas 1—22 ordinis Littraeani (fol. 446ʳ—460ʳ).

2. Vaticanus graecus 276 (V) saeculi XII exeuntis, quem idem Ilbergius descripsit l. l. p. XV sq. Eiusdem prosapiae est atque M eisdemque fere vitiis nonnumquam inquinatus. Numerus epistularum concinit cum Marciani (fol. 196ᵛ—205ᵛ).

3. Urbinas 64 (U), quem ita describit Cosimus Stornajolo (Bibliothecae Apostolicae Vaticanae codices manuscripti recensiti iubente Leone XIII Pont. Max. Codices Urbinates Graecos edid. C. Sternajolo Romae 1895) p. 70: 'Membr. folior. 118, alt. m. 0,243, lat. 0,164, saec. X—XI, duae manus exararunt, adsunt etiam correctiones et adiuncta ex manibus serioris aevi. Fol. a habet: *Aphorismi Hippocratis cum scholiis / Theophili protospatharii.* Inferius ex alia manu: *Galen.* fol. bᵛ habet coronam ex auro et coloribus depictam et infra tesseram gentiliciam maiorem urbinatium ducis Friderici, sine litteris. In medio circulo: ΣΥΝΑΓΩ/ΓΗ ΛΕΞΕΩΝ ΤΟΥ/ΑΝΤΩΝΙΟΥ. ΑΦΟΡΙCΜΟΙ/ ΤΟΥ ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥC. ΚΑΙ ΕΠΙ/ΔΗΜΙΑ ΚΑΙ ΠΡΟΓΝΩCΤΙΚΟΝ/ congregatio dictionū/ Antonii. aphorismi/ Hippocratis: et epide/mia et prognosti/con. Totus codex littera grandiuscula exaratus atramento subrufo; initia tantum litteris grandioribus ex minio. Inscriptiones aliquando flavo colore inquinatae'. Librarius parum orthographiae peritus munere functus est. In accentibus ponendis summa libertas: habes ἐγρηγόρωc, ἔcτηκεν, γὴν, ἀβδηρεῖτας alia multa. Duobus accentibus saepe distinguntur voces compositae, cὺνἐδόκεε, πρὸcἐπέλαcεν, πρόcπεcὸν, similiter τοῦτέων. Scatet formis in dialectum Atticam translatis[1]) et vitiis cuiusvis generis. Concinit plerumque cum MV, etsi saepius proprias lectiones praebet et verbis hic omissis illic adpositis cum neutro congruere videtur. Easdem epistulas servavit atque MV (fol. 104ʳ—112ᵛ).

4. Palatinus graecus 398 (b) saec. X, qui pro sua parte testis adhibendus est gravissimus.[2]) Descriptus est in F. Sylburgii catalogo codd. Graec. mss. olim in bibliotheca Palatina, nunc Vaticana asservatorum, Francof. ad Moen. (1702) p. 124; in F. J. Bastii epistula critica Paris 1805 (translata a C. A. Wiedeburgio, Lipsiae 1809) p. 3 sqq.; in Novis Annalibus Heidelbergensibus I (1891) 227 sqq. ab A. de Gutschmid; postremo ab Henrico Schafstaedt, De Diogenis epistulis, Gottingae 1902, p. 19. 63. Continet unaquaeque pagina circiter 33 lineas litteris minusculis optime scriptas. Accentus et spiritus librarius postea addidit. 'Passim itemque prima manu singulae partes litterarum pallidiores eodem atramento refectae sunt. Multis locis rasurae, nonnullis correcturae reperiuntur, sed raro priores formae dignosci possunt; atque apparet correcturas non alii codici deberi. Spiritus diphthongi priori litterae superscriptus est.' Iota adscriptum diligenter poni solet; tituli eisdem litteris facti atque codicis M. Exhibet inde a folio 262ʳ epistulas 1—9 (— fol. 263ᵛ). Tum insertum est Ī δόγμα Ἀθηναίων, quod in MUV epistulam 22 excipit. Sequuntur ep. 11—21 = 10—20 ordinis codd. MUV (fol. 264ʳ—279ᵛ). Quo loco lacuna unius folii codex mutilatus est, ut verba ep. 21 (IX 386,22 L.) πάcης sqq. usque ad ep. 22 (IX 390,18 L.) δραχμῆς ἐν ὀξυμέ- desint. Agmen claudunt epistulae 23—25 hoc ordine (fol. 280ʳ—282ʳ): ΚΓ Δημόκριτος Ἱπποκράτει περὶ φύcεως ἀνθρώπου (deest in MUV), ΚΔ Ἱπποκράτους πρὸς τὸν υἱέα Θεccαλόν (22 ordinis librorum MUV), ΚΕ Ἱπποκράτους ὑγιεινὸν πρὸς Δημήτριον βαcιλῆα (omis. MUV). In calce ultimi folii (282 r): ζητητέον τὸ λεῖπον τῆς ἐπιcτολῆς καὶ τὴν πρὸς Πτολεμαῖον ὁλόκληρον.

5. Parisini = R (praeter φ).

1) Apparatus criticus ne quid perspicuitatis nimia lectionum turba amitteret, codicis U formas non attuli nisi Ionicas. Eo factum est, ut nonnumquam Urbinatis lectiones solius adnotarentur, cum eaedem ceterorum librorum in textum receptae non afferrentur.

2) Littraeus Palatini collatione non ea quam hodie desideramus diligentia a Roullez professore quodam Bruxellensi facta usus est (cf. Littré IX 310 adn. 1).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

a) Fonds grec no. 2652 = o (Omont, Inventaire sommaire des manuscrits grecs de la bibl. nationale III 19) saec. XV. pap. 205 fol. Continet inde a folio 78ᵛ—90 Hippocratis epistulas 1—5. 10—17 usque ad φιλονεικέοντες (IX 364,1 L).

b) Fonds grec no. 2755 = c (Omont III 35) s. XV. copié en partie par Mich. Souliardos et Mich. Apostolios. pap. 357 pages. Inde a fol. 161—187 Hippocratis epistulae 1—5. 10—18. 20.

c) Fonds grec no. 3047 = τ (Omont III 99) copié en 1420 par Georges Chrysococcès, pap. 200 fol. Epistulae Hippocratis (fol. 5—20) 1—5. 10—18. 20. 22.

d) Fonds grec no. 3050 = υ (Omont III 100) s. XV parch. 166 fol. Exhibet inde a fol. 107 usque ad fol. 117 Hippocratis epistulas 1—5. 10—17. Desinit in vocabulum πάνυ (IX 350,11 L).

e) Supplément grec no. 205 = ψ (Omont p. 25) s. XV pap. (Jésuites d'Anvers) copié par Michel Apostolios et Aristobule. Hippocratis epistulae (fol. 34—46ᵛ) 1—5. 10—18. 20.

f) Fonds grec no. 1760 = ω (Omont II 136) s. XV copié par Michel Souliardos, pap. 349 fol. Continet Artaxerxis et Hippocratis epistulas 1—2 (fol. 146), Hippocratis epistulas 10—17 (fol. 205—fol. 215ᵛ), Democriti (?) ep. 18. 20. 22 (fol. 216—217ᵛ). Exit in vocem ἐστὶ (IX 392, 15 L).

g) Fonds grec no. 3052 = φ (Omont III 100) s. XVI pap. 223 pages. Exhibet fol. 38—fol. 40 Artaxerxis et Hippocratis epistulas 3—10.

h) Fonds grec no. 1327 = χ (Omont II 9) copié en 1562 par Zacharie de Crète, pap. 478 fol. Continet inde a fol. 208ᵛ solam ep. 17.

Praefandi antequam finem faciam, hoc quoque loco Academiae Berolinensi, quod imaginibus codicum suis sumptibus effectis ut uterer liberalissime mihi concessit, gratias quam maximas agere mihi liceat nec non viris doctissimis Ioanni Mewaldt et Ioanni Ilberg, quorum ille mihi tabulas photographicas roganti nunquam defuit, hic consilio atque opera me comiter adiuvit.

INDEX NOTARUM

p^1 = papyr. 1184 saec. I p. Chr. (Oxyrh. Pap. vol. IX 195 sqq.)
p^2 = papyr. 7094 } saec. II—III p. Chr. (Berlin. Klas-
p^3 = „ 6934 } sikertexte vol. III 5 sqq.)
M = Marcian. 269 saec. XI
U = Urbin. 64 saec. X—XI
V = Vatican. 276 saec. XII
b = Palatin. 398 saec. X
R = codd. Parisini recentiores a Littraeo litteris οστυχψω insigniti omnes vel plerique
r = codd. Parisini recentiores nonnulli
φ = Paris. 3052 saec. XVI

add. = addidit, addiderunt
em. = emendavit
exh. = exhibet, exhibent
om. = omisit, omiserunt
i.mg. = in margine
m. = manus
ras. = rasura
| = initium paginarum Littraeanarum
Numeri in marginibus pinguius adscripti Littraeanae editionis (vol. IX 308—400) paginas indicant.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf